

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Exemplum ai
cum fonte primo

Prodest sine dubio custodem sibi imposuisse et habere quem respicias.

Hoc quidem longe magnificemus,
sic uiuere tanquam sub alicuius boni uiri ac semper presentis oculis.

Cum iam profeceris tantum ut sit tibi eciam cui reuerencia,

et donec te eum effeceris cum quo peccare non audeas.

Seneca XXV. epistola.

Prodest sine dubio custodem sibi inposuisse et habere quem respicias,
quem interesse cogitationibus tuis iudices.

Hoc quidem longe magnificentius est,
sic vivere tanquam sub alicuius boni viri ac semper praesentis oculis,
sed ego etiam hoc contentus sum, ut sic facias quaecumque facies
tanquam spectet aliquis: omnia nobis mala solitudo persuadet.

Cum iam profeceris tantum ut sit tibi etiam tui reuerentia,
licebit dimittas paedagogum: interim aliquorum te auctoritate custodi—
aut Cato ille sit aut Scipio aut Laelius aut alius
cuius interventu perditum quoque homines vitia supprimerent,
dum te efficis eum cum quo peccare non audeas.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 25.5-6
(L. Reynolds ed., vol.1, pp.73-4, ll.20-27, 1-4).